

circumstantias, ex quibus notitia de re hauriri potest, si enim ista concurrunt formatur prudens iudicium de re illa, et est iudicium verum prudentialiter et moraliter, licet sit falsum speculative, et entitative, quia veritas speculative mensuratur penes esse, vel non esse objecti in re, veritas autem prudentialis, et practica penes motiva seu media, aut circumstantias ex quibus communiter, et humano modo solet accipi notitia, his enim stantibus, et non constando alias quid in re sit, formatur iudicium penes illa, non penes esse, vel non esse rei. Omnia autem ex quibus poterat Jacob formare apprehensionem, quod illa erat uxor legitima concurrebant, et nulla ex quibus posset iudicare esse suppositam. Unde prudenter vere iudicabat esse uxorem, licet falso speculative.

XXXV. Ad tertiam instantiam dicitur, quod regula falsa non potest causare actum regulatum bonum, si sit falsa in eo in quo est regula, scilicet in veritate practica, et in ipsa ratione prudentiæ, ita quod sit imprudens. Si autem solum sit falsa speculative, practice autem, et prudenter vera, quia secundum regulas prudentiæ formatur, bene potest regulare et mensurare actum bonum, quia in eo in quo est regula, falsa non est, sed adæquata et vera.

### ARTICULUS III.

*Quomodo intentio in sua bonitate et malitia dependeat ex bonitate, et malitia electionis, vel e contra?*

I. Cum actus interior sit intentio, quæ est circa finem, et inde derivetur ad actum exteriorem, seu imperatum, qui est electio, ejus bonitas vel malitia, et e contrario etiam

ex mala electione consecuta vitietur intentio, oportet explicare duo. Primum, quoad ipsam bonitatem vel malitiam, quomodo ad invicem communicetur ab intentione ad electionem, et e converso: secundo, quoad quantitatem, an totum quod est malitiæ, vel bonitatis in ipsa intentione redundet in electionem.

INTENTIO EX PRAVA ELECTIONE VITIATUR; ELECTIO PRAVA EX BONA INTENTIONE MINUITUR, SED NON TOTALITER BONIFICATUR.

II. Non est dubium, quod quando uterque actus, scilicet intentio, et electio, est bonus, vel uterque malus, quod bonitas intentionis in bonam electionem redundat, ut quando quis dat eleemosynam propter finem charitatis, vel religionis, malitia etiam eodem modo derivatur, ut cum quis furatur mœchetur; tunc enim actus imperatus est in duplici specie, altera essentiali ex objecto, altera accidentaliter ex fine, ut late supra ostendimus disp. VIII et IX. Nunc autem specialiter inquirimus, quando una est bona, altera mala, ut intentio bona, et electio mala, quomodo una influat in aliam, vel minuat de alia. Nec modo disputamus, an idem actus simul possit esse bonus, et malus moraliter, de hoc enim jam supra disputatione octava resolvimus non posse, sed supponendo quod sunt actus distincti, exterior et interior, intentio et electio, inquirimus, quomodo intentio bona fiat prava ex electione, mala inde secuta, et quomodo diminuat, aut tollat aliquid de ejus malitia.

III. Dico ergo primo: Intentio, seu actus interior, qui ex fine suo est bonus, ex prava electione consecuta vitietur, quotiescumque influat in illam, et est causa illius, sicut verbi

gratia qui furatur ut det eleemosynam. Hæc conclusio generaliter docetur a D. Thoma in hac quæstione XIX, art. VII, scilicet quod quando intentio præcedit electionem, communicat illi suam bonitatem, vel malitiam, secus si sequatur post aliquem actum, tunc enim illi non communicat bonitatem, vel malitiam. Constat autem intentionem præcedere, quotiescumque est causa, et influit in electionem. Et D. Thomam communiter sequuntur ejus discipuli, et doctores, licet aliqui negent intentionem vitari ab electione, alii distinguant. Negat Lorca hic disp. XLII, membro I: distinguunt Vazquez disp. LXVIII, c. I, cum aliis antiquioribus, quos citat, quod actus voluntatis, vel potest esse circa finem in se, vel circa finem in ordine ad media; et iste ordo ad media, vel potest esse in ordine ad media in confuso, vel in ordine ad aliquod medium determinate malum, sive in recto, sive in obliquo respiciat illud. Si primo modo sumatur actus voluntatis circa finem, vel secundo modo circa finem, et media in confuso non vitietur intentio ab electione: si vero tertio modo sumatur, vitietur intentio ab electione mala. Alii ut Medina super quæst. XIX, art. VII, distinguunt de intentione ex qua per se, et necessario sequitur electio mala, et de intentione ex qua non sequitur per se et necessario, sed libere et per accidens. Et primo modo dicit intentionem vitari ex prava electione, non secundo modo, sicque varia dicta D. Thomæ componit, quæ videntur inter se contraria in hac parte.

IV. Nihilominus conclusionem, et sententiam D. Thomæ absolute sequimur, quod quotiescumque intentio influat in electionem, et electio est prava, intentio vitietur, vel potius vitata supponitur, hoc ipso

quod in talem electionem redditur influxiva. Et non loquimur solum in casu, quo uno et eodem actu attingitur finis, et medium; tunc enim manifeste ipse actus attingit malum, quia idem actus attingit malum medium, et bonum finem, ubi autem actus attingit malum, oportet quod malitiam participet a tali attingentia. Sed loquimur etiam in casu quo sunt duo actus, et quilibet attingit suum objectum distinctum, sed tamen unus est causa alterius, sicut præmissæ conclusionis, intentio electionis. In hoc ergo casu dicimus intentionem bonam, seu ex bono fine vitari ex prava electione, non quia ejus objectum attingit, sed quia in eam influat, eique cooperatur. Et quod influat, supponimus eo quod ista electio oritur ex aliquo fine intento, alias fieret a casu, nec esset proprie electio, quia non esset de medio in ordine ad finem, sed casualis quidam actus voluntatis circa tale objectum. Si vero talis electio oritur ex fine aliquo intento, talis finis intentus influat in illam electionem, quia est finis ejus, et si est finis, ergo est causa, et id cujus gratia fit talis electio, ergo influat in illam, quia omnis causa influat in suum causatum, et id cujus gratia aliquid fit, est tota ratio faciendi; ergo maxime est influxiva in talem actum.

V. Nec obstat, quod intentio ipsa boni finis ex natura sua non influat in pravam electionem, sed malitia operantis, abutentis illo bono fine. Nam licet ita sit, tamen hoc solum probat quod illa intentio ex sua specificatione non influat in pravam electionem, neque ex sua specificatione, et objecto est mala, non tamen probat, quod in exercitio non influat in electionem pravam, intentio enim, et quicumque actus voluntatis non operantur, nisi cum subordinatione ad ipsum operantem,

sicut principium quo non operatur sine principio quod, neque intentio ad influendum considerata est in abstracto, et cum præcise, scilicet ut præcise tangit objectum bonum, sic enim ex hac parte constat quod non vitiatur, sed considerari debet in concreto, et prout in exercitio subordinatur ipsi operanti, et amore illius movetur ad talem electionem faciendam; hac enim ratione considerata illa intentio prout in exercitio influit sine dubio in electionem pravam, licet non id petat ex natura et specificatione sua, sed ex ordinatione operantis id habeat, ergo saltem intentio illa prout sic exercita, et subordinata operanti influit in pravam electionem, ergo illa prout sic exercita est mala, et vitiatur.

VI. Consequentia ista ultima probatur, quia impossibile est, quod exercitium influendi in peccatum, et causandi illud non sit malum, si quidem causa mali non dicit bonum, sed defectum, ergo intentio illa prout sic exercita, et sic influens bona esse non potest, sed defectuosa et mala, utpote cujus gratia fit malum et peccatum. Et explicatur amplius; tum ex generali ratione, quia quæcumque causa et influxus in peccatum per modum causæ creatæ, quæ non præcise influit in entitatem actus ut causa universalis, sed specialiter ut causa particularis, et ex parte finis et objecti, cujus amore trahitur ad peccandum, in hoc ipso facit peccatum, quia causat et influit in peccatum, ergo et ille finis, seu intentio quantumcumque ex objecto bona, ex influenza in peccatum reddetur mala, etiam si solum influat non ex specificatione sua, sed prout exercita hic et nunc; tum speciali ratione, quia intentio non potest influere in electionem, nisi ut virtualiter continens illam, si quidem intentio est volun-

tas circa finem, non quomodocumque, sed ut acquirendum per media, et inde movetur ad eligendum medium hoc, vel illud determinate, ergo si intentio fit talis conditionis, et naturæ quod velit acquirere finem per malum medium, sive determinate illud designet, sive solum in confuso, sive per necessariam consequentiam, sive libere, tamen hoc ipso, quod non recusat illud, dummodo assequatur finem suum immoderate, et contra ordinem rationis vult talem finem, si quidem ex amore ad illum non recusat malum medium, etiam in confuso conceptum, ergo est mala voluntas, quia virtualiter est voluntas mali medii, et inordinatus amor ad finem volendo illum etiam per malum medium, aut non recusando malum medium.

VII. Et ex hoc excluditur solutio Lorcæ ubi supra, quod intentio bona est causa per accidens electionis pravæ; non vitiatur autem causa ex effectu super accidens secuto, ut quando ex mea defensione sequitur mors alterius, sed solum ex effectu per se. Sed hoc excluditur ex dictis, quia licet ex intentione bona non sequatur prava electio per se perseitate specificationis, et ex objecto ejus præcise considerato, sequitur tamen per se ex parte exercitii, et ex parte operantis, quia intentio sic exercita, per tale medium vult, aut non recusat consecutionem sui finis, et operans in ipso exercitio non potest elicere electionem, nisi ex tali intentione, quia electio in exercitio nunquam comparatur per accidens ad intentionem, sed per se. At vero mors alterius ex mea defensione, aut alius effectus per accidens, non sunt ex influenza voluntatis, sed sunt pure permissi; electio autem habet esse voluntaria ex ipsa intentione unde oritur per se.

VIII. Objicies primo: D. Thomas in II distinct. xxxviii, quæstione

unica, art. v dicit: « Quod potest in aliquo casu esse voluntas mala, et intentio bona, » ergo non semper intentio vitiatur ex pravitate electionis. Et idem videtur sumi ex distinctione XL, q. 1, a. II, et in hac prima secundæ, quæst. xx, art. II, ubi etiam concedit voluntatem ex fine posse esse bonam, et malam ex electione, seu quoad actum exteriorum. Et in hac quæstione XIX, art. VIII, in argumento Sed contra, dicit posse esse bonam intentionem, et malam electionem. Item faciunt ad hoc auctoritates Scripturæ, et sanctorum, qui ex bona intentione affirmant non procedere actum, seu electionem malam, atque adeo neque ex ipsa prava electione dici potest quod vitiatur. Antecedens probatur ex illo Matth. VII: *Non potest arbor bona malos fructus facere*, et nomine arboris intelligunt sancti communiter bonam intentionem, sicut quoddam dicitur Matth. VI: *Lucerna corporis tui est oculus tuus, si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*. Nomine autem oculi intelligitur intentio, ergo si intentio recta et simplex fuerit, nunquam vitiabitur ex electione, quin potius totum corpus, id est, omnia opera inde promanantia reddet bona. Unde dicit Chrysostomus homil. XIX in imperfecto: « Ex proposito bono etiam quod videtur malum, bonum est, quia propositum bonum excusat malum opus: » et Ambrosius lib. I offic. cap. xxx: « Affectus tuus nomen imponit operi tuo, etc. » ergo affectus bonæ intentionis nunquam vitiatur ex prava electione, sed si intentio est bona semper manet bona.

IX. Respondetur D. Thomam in illis locis loqui de intentione bona ex parte specificationis, seu objecti præcise sumpti, non autem de intentione ut exercita, et ex parte operantis. Et sic in illo loco ex distinc-

tionem xxxviii, subdit S. Thomas ex philosopho v ethicorum, cap. IV: « Quod qui per malos actus bonos fines consequi intendunt, quærunt sortiri finem inconvenienti medio. » Et idem affirmat loco citato, dist. XL, atque adeo licet dicatur bona intentio, et mala electio, dicitur bona bonitate objecti, et specificationis præcise, sed in exercitio redditur mala, quia quærunt finem inconvenienti medio, et sic finis ut intentus, et quæsitus non est bonus, sed inconveniens, et sic in exercitio malus. Ad locum ex hac quæstione XIX, art. VIII, in argumento Sed contra, et quæst. xx sequenti, art. II, dico quod loquitur eodem modo S. Thomas, scilicet de intentione bona ex parte specificationis cum præcise considerata, scilicet ex parte finis, et objecti secundum se, non ex parte exercitii, et ex parte operantis, sic enim ut exercita cum influenza in pravam electionem bona esse non potest, utpote vitiata ex circumstantia illius effectus, quæ virtualiter includitur in illa intentione.

X. Ad loca ex Scriptura, et patribus respondetur, quod arbor bona est intentio non nude, et præcise considerata ex parte objecti, sed ut exercita ex parte operantis, et cum virtualitate effectus, et electionis quam includit, id est, ut habente radices in ipso operante, et ordinata ad fructus quos continet; sic enim arbor bona, id est, intentio bona etiam exercite, et ex parte operantis non potest malos fructus facere. Unde D. Thomas in II, dist. XL, q. 1, art. II ad primum dicit: « Quod arbor est ex qua immediate nascitur fructus; unde arbori comparatur voluntas secundum quod eligens, quia ex electione immediate sequitur opus. » Intentio ergo non nude considerata, sed ut virtualiter continens electionem arbor est, quæ si

facit fructus malos, bona esse non potest, si vero bona est in quantum sic electionem respicit, malos fructus facere non potest. Eodem modo intelligitur oculus simplex, qui si fuerit simplex non solum ex parte specificationis, et objecti, sed etiam ut exercita, et ex parte operantis, totum corpus lucidum erit; secus si simplex non sit ut exercita hic, et nunc ab operante. Et locus Chrysostomi etiam non urget, quia loquitur de proposito bono etiam in exercitio et ex parte operantis, nunc enim non potest aliquod malum cum illo stare, nisi sit invincibiliter ignoratum, et hoc excusatur ex bono proposito, si videlicet bonum illud propositum sit bonum etiam in exercitio. Et cum dicit Ambrosius quod affectus tuus nomen imponit operi tuo, loquitur de affectu prout exercito, et ut ex parte operantis se tenet, non solum ex parte objecti, seu finis cum præcisione consideratur, sic enim potest esse bonus, et tamen vitari ex prava electione ut virtualiter contenta in se, tunc enim est defectuosus.

XI. Secundo arguitur: Iste actus intentionis in primis ex objecto, et specie sua est bonus, et alias non potest vitari ex prava electione tamquam ex circumstantia a qua dependet, vel effectu in quem influit; ergo talis intentio in se remanet bona, cum sit actus distinctus ab electione, nec possit ab illo vitari, nisi ex aliqua dependentia, vel influenza in ipsum. Major constat, quia objectum illius actus intentionis est bonus, verbi gratia eleemosyna, objectum autem est quod specificat actum, et sic talis actus vere ponitur in specie eleemosynæ, quamvis ex illo sequatur prava electio furti ob talem finem eleemosynæ, si quidem per talem eleemosynam vere sublevatur miseria proximi, et vere impletur præceptum dandi illam si

instet, nec habet aliam speciem ad quam pertineat; ergo vere ille actus ex specie sua est bonus. Minor probatur, nam in primis non vitatur ab electione tamquam a circumstantia, a qua dependeat, quia ille actus intentionis est prior natura, et tempore quam electio, sicut principia sunt priora conclusionibus; ergo sicut veritas principiorum non vitatur ex falsa conclusione, ita nec bonitas ex electione, est enim actus postea secutus, qui priorem jam elicuit, et factum non vitat. Similiter neque vitatur intentio ex electione propter influentiam in illam, quia si intentio est bona non est causa per se mali, sicut nec veritas falsi, nec habet per se connexionem cum tali medio, quia posset stante illa intentione aliud medium eligi bonum in se, sed ex voluntate operantis eligitur illud malum. Quod si non est causa per se illius mali, sed per accidens, non vitatur ex illo, quia ex malo consecuto per accidens non vitatur opus, ut patet cum sequitur damnum alicujus ex eo quod utor meo jure.

XII. Respondetur ad argumentum distinguendo majorem, et negando minorem. Ad majorem distinguimus; ille actus ex sua specie, et objecto est bonus, ex specie, et objecto præcise considerato, et solum ex vi propriæ naturæ, transeat; ex specie, et objecto ut vitato, et corrupto hic, et nunc ex adjuncta circumstantia pravæ electionis, nego. Et ad probationem dicimus, quod objectum illius est bonum, distinguo; si præcise ex natura sua consideretur, transeat; si ut vitatum et corruptum hic et nunc ex prava circumstantia, nego. Et negamus talem actum poni vere, et moraliter in specie eleemosynæ, quia licet ex parte effectus sublevetur miseria pauperis, tamen eleemosyna quæ est virtus non consistit in sola su-

blevatione miseriæ quomodocumque facta, sed prout decet, et sine præjudicio alterius, ut patet si quis det pauperi mulieri pretium meretricii, quo sublevetur ejus paupertatem; quando autem sublevatur miseria per alterius damnificationem, hoc non est eleemosyna, sed injustitia. Et tamen adimplet præceptum eleemosynæ ex parte materialis effectus, qui est sublevatio miseriæ alienæ (hæc enim directe, et per se cadit sub præcepto ordinato ad bonum proximi) non ex parte virtutis et modi operandi moraliter in adimplerione illius præcepti. Est autem in alia specie quam eleemosynæ, scilicet in specie injustitiæ, et rapinæ, quia corrumpitur illa moralis bonitas eleemosynæ a malitia injustitiæ furti illi adjuncta, et in qua influit illa eleemosyna.

XIII. Ad probationes autem minoris dicitur vitari illam intentionem ab electione, ut ab effectu secuto, qui est circumstantia quid, vel tamquam a circumstantia quibus auxiliis, quia accipit ad eleemosynam faciendam auxilium a furto. Et licet sit prior illa intentio actu electionis formaliter, non tamen virtualiter, quia continet illam et est influxiva in illam, non quidem ex sua natura et specificatione præcise accepta, sed prout exercita hic et nunc, ex quo exercitio corrumpitur ejus species, et in alia reponitur, quæ prava est, scilicet injustitiæ. Quod autem principia non vitentur a conclusionibus, ideo est quia principia vera non inferunt conclusionem falsam ex se, sed ex mala formâ argumentandi; at vero intentio ex malo abusu operantis recipit malitiam et destruit bonitatem, eo quod bonitas moralis non solum est in objecto sicut veritas, sed in usu et applicatione subjecti, indeque potest etiam habere bonitatem, aut malitiam. Et actus elec-

tionis postea secutus non vitat intentionem, nisi prout continetur, et derivatur ex illa, et sic supponitur in sua radice vitatus.

XIV. Ad id quod urgetur contra influentiam intentionis in electionem, dicimus quod bonitas intentionis non influit in malam electionem, nec habet per se connexionem cum illa, si consideretur ex natura sua; non si consideretur ut exercita hic et nunc ab operante, sicut veritas ut male syllogizata, et applicata potest esse causa falsa conclusionis. Et licet bona intentio non habeat per se connexionem cum malo effectu ex specie, et objecto suo præcise considerato, bene tamen potest habere ex suo exercitio, et prout hic et nunc se tenet ex parte operantis.

XV. Ad id vero quod dicitur de causa ex qua per accidens sequitur damnum, dico quod si per accidens sequitur, tam ex parte operis, quam ex parte operantis, quia solum utitur jure suo, damnum illud non imputatur, nec vitatur intentio et operatio. Si autem sequitur per accidens ex natura operis secundum se considerati, per se autem ex ipso usu operantis, qui sic dirigit intentionem ad illud opus et electionem, vitatur intentio prout sic exercita, et prava electione consecuta.

XVI. Dico secundo: Bonitas intentionis diminuit malitiam electionis non formaliter, et intrinsece, et motive, quatenus voluntas eligentis ex minori affectu ad malum movetur, et cum paucioribus circumstantiis malis: nunquam tamen bonitas intentionis est sufficiens totam malitiam electionis auferre si sit electio de re intrinsece mala. Tres partes habet conclusio. Prima, quod bonitas intentionis diminuit de malitia electionis: secunda, de modo diminuendi, quod non facit hoc formaliter intrinsece, sed mo-

tive extrinsece: tertia, quod non totaliter tollit pravitatem electionis.

XVII. Prima pars est certa, et ab Augustino asserta libro contra mendacium, c. VIII, tom. IV, ubi dicit: « Pejor est qui concupiscendo, quam qui miserando furatur. » Et videri potest de hac re Cajetanus 2-2, q. CCXLVIII, art. II, et alii doctores, cum magistro in II, dist. XL. Ratio vero est, quia bonitas intentionis saltem impedit, ne ex malo fine aut peiori quis moveatur, et ne operetur ex tanto amore mali, seu peccati, quanto operaretur si ex ipso affectu peccati, et non ex aliquo amore boni moveretur. Esset enim tunc non solum affectus electionis malus, sed etiam affectus intentionis, et cum unus affectus alterum moveat, magisque firmitur voluntas, quando utroque affectu fertur in bonum, vel in malum, inde est, quod si unum affectum tollit, quia non est circa malum, sed circa bonum, ex illa parte diminuitur comparative ad illam malitiam quam haberet, si ex utroque affectu malo moveretur.

XVIII. Secunda vero pars de modo, quod fit ista diminutio probatur et explicatur, quia tribus modis potest intelligi quod fiat ista diminutio malitiæ in ipso actu pravo (nam in ipso subjecto actus quod est voluntas diminutio facile intelligitur per hoc quod si intentio esset mala susciperet duas diversas malitias, nunc autem suscipit unam tantum, quæ extenditur ab ipsa intentione ad vitiandam electionem ut mox dicemus) potest enim in ipso actu pravo dimitti malitia, aut specifica et essentialis, aut accidentalis et ex circumstantia, aut potest diminui extensio ejus malitiæ, et communicatio ad actum intentionis, ut non communicetur ei tanta malitia propter bonitatem quam habet. Et potest ista diminutio intelligi, vel

intrinsece in ipsomet actu, et ordine ipsius ad objectum, vel circumstantias, aut solum penes aliquam denominationem extrinsecam adjuncti actus boni. Primo modo non fit diminutio in ipsa prava electione, quia specifica illa malitia in ratione specificandi non suscipit magis et minus, quia species sunt sicut numeri, in quibus non fit additio vel diminutio, si enim diminueretur species tolleretur, quia in aliquo prædicato specifico, et quidditativo minueretur, et sic careret illo; et ita si species illius actus est peccatum furti, illa species non diminuitur in specie, ita ut furtum non sit, et si est in quantitate notabili etiam in hoc non diminuitur, sed ejusdem quantitatis manet etiam si ex bono fiat. Si vero diminuitur in affectu, et intentione, illa diminutio erit penes aliquid accidentale, scilicet circa intensionem, vel aliam similem circumstantiam, non penes specificationem, et quidditatem. Unde bona intentio nihil tollit, aut mutat, vel minuit de objecto ipso specificante electionem, nec de intrinseco ordine quo tale objectum respicit, quia si intentio est de eleemosyna, et electio de furto, idem objectum furti manet, scilicet res aliena, et idem ordo ad illam.

XIX. Secundo modo vere, et proprie diminuitur malitia accidentalis in illa prava electione ex intentione bona, et hoc dupliciter. Primo, tollendo circumstantiam malam alterius finis pravi: secundo, diminuendo affectum voluntatis ad malum, ne scilicet sit ita firmus et adhærens malo, nec ita per se, et connaturaliter illi conjunctus, aut etiam non ita intense feratur in objectum malum. Constat hoc manifeste, quia si intentio est bona ex parte sui objecti, et specificativi, ergo excludit aliam intentionem malam ex alio fine pravo, ergo di-

minuit ab electione illam malitiam, quam ex circumstantia illa pravi finis haberet, si quidem tollit, aut impedit talem circumstantiam pravam apponi. Ex hoc autem sequitur secundum, scilicet quod diminuat firmitatem, aut intensionem affectus erga malum, quia voluntas firmatur et roboratur in amore aliqujus objecti ex fine, qui totam efficaciam amandi media præstat, si quidem gratia et amore finis amantur media. Ergo si efficacia ista, et firmitas provenit ex fine pravo, firmitior fit voluntas ad peccandum, et ad ipsum malum, et laxior, quia non solum non recusat media prava, sed etiam pravum finem intendit, et ex illo movetur. Si vero ex bono fine incipit moveri, licet inde obliquetur ad pravum medium, tamen non est ita firmatus in malo, si quidem ex ratione boni finis movetur, ergo diminuitur firmitas ad illum, quia finis magis connaturaliter, et per se appetitur quam media. Et exinde etiam minuitur intensio affectus, quia communiter ex majori adhæsiōne et firmitate, seu connaturalitate ad aliquod objectum nascitur major intensio in actu, et conatus.

XX. Dices: Ille finis intentus, verbi gratia eleemosyna, ut hic et nunc exercetur ab operante corrumpitur, si intentio est mala in exercitio, nec jam est eleemosyna, sed rapina et injustitia, ergo non potest diminuere affectum pravum, si quidem in se illa intentio non manet bona. Nec refert, quod manet vitiata non pravitate alterius speciei, sed ejusdem speciei cum pravitate electionis, verbi gratia malitia furti, si id quod eligitur est furtum. Contra est, nam si aliquis committeret furtum propter ipsummet furtum, seu propter cupiditatem pecuniæ, non propter eleemosynam, talis gravius peccaret, quia ex mala intentione ipsius furti pec-

caret; ergo si illa intentio eleemosynæ est vitiata, et tincta eadem pravitate, seu malitia furti, quod ex illius intentione procedit, ex eadem pravitate procedit, atque ex malitia furti.

XXI. Respondetur quod illa intentio, quæ ex sua specificatione, et objecto præcise sumpto est bona, et ut exercita ex parte operantis est corrupta, non diminuit affectum electionis pravum ratione sui exercitii, et ex parte operantis, sed ratione rei intentæ. Et cum dicitur, quod hæc non est bona, sed ipsa intentio manet corrupta, distingo; manet corrupta ex parte ipsius rei intentæ secundum se, nego; ex parte intendentis, et ex parte exercitii, transeat. Non communicat autem intentio pravitatem, vel bonitatem quam habet ratione ipsius intendentis, et ex parte exercitii, sed quam habet ex parte rei intentæ quia ex parte rei intentæ se habet ut finis, et ratione illius influit in media. Unde si ex hac parte habet bonitatem quantum est de se, licet illam non possit influere in pravam electionem, quia non est capax bonitatis moralis, saltem diminuit malitiam, quatenus impedit alium finem pejorem, et minus firmum reddit affectum ad rem pravam. Instantia vero de furto quando appetitur propter se ut finis, non quadrat, quia tunc illud furtum, et illa cupiditas pecuniæ se habet ut res intenta, et sic cum sit prava operatur, et influit ut finis pravus, et firmat affectum in rem secundum se pravam, ideoque est pejor illa electio. Cum vero eleemosyna vitiatur ex prava electione, non vitiatur ex parte rei intentæ secundum se, sed ex parte operantis, et ut exercita, et sic non auget malitiam finis ut finis, quæ sumitur ex re intenta secundum se, licet vitiatur ex parte exercitii, et ex parte operantis, ut magis infra explicabitur.